



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 25.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

Baptismo. Ita opinor, inquit, autem, aliud est adspargi, vel intercipi violentia maris, aliud tingi disciplina religionis; ceterum nautica illa figuram Ecclesie præferebat, quod in mari, id est saculo, fluctibus id est persecutionibus, & tentationibus inquietatur. Domino per patientiam veluti dormiente, donec orationibus sanctorum in ultimis suscitatus compeccat seculum, & tranquillitatem suam reddat. Nunc siue tincti quoque modo fuerunt, siue illoti per seuerarunt, ut & illud dictum Domini de vno lauacro sub Petri persona ad nos tantummodo spectet, de salute tamen Apostolorum satis temerarium est æstimare, quia illis vel prime dilectionis & exinde indiuidue familiaritatis prærogatiua compendium baptismi conferre posset.

§. 2. Apud Lucam est, & alias naues fuisse cum eo, quæ tempestate non videntur iactatæ, sed pernoctem seiunctæ, & libera. Euthymius, Beda, Strabus putant eas nos iactatas, ut pateret tempestatem Christo providente & volente excitatam, & ita coercitam ut in socias naues non sæuere, de tempestate istâ vide Gregorium lib. 8. Ep. 41. August. serm. 3. 17. homil. Chrysologum de hoc somno Christi.

§. 3. Dormit, ut magis solliciti auxilium quærerent. Chrysost. hom. 29. Lyranus, dormisse, ut humanæ naturæ veritas ostenderetur.

VERSVS 25.

Et acceperunt ad eum, & suscitauerunt eum, dicentes, Domine, salua nos, perimus.

QVÆSTIO I.

An hoc contra Inuocationem sanctorum?

BVllingerus, quia acceperunt ad Christum discipuli, & auxilium postularunt, non posse à sanctis, quicquam peti concludit. [Proinde, ait, errorum, & superstitionis magistri sunt, qui docent in periculis, & procellarum maximè, auxilium petere Virginis Mariæ, S. Nicolai, & Christophori. Nam Euangelium docet nos D. o supplicare, & dicere, Domine, serua nos, perimu.] Nicolaum in tempestate implorantibus, intercessionem suam apud Christum adfuisse, historia vitæ eius authentica docet. Hoc ex loco, si quicquam conficeretur, id potius sequeretur, licere intercessionem petere. Nam nihil dubito etiam nautas cum discipulis egisse, ut Dominum excitarent. Nam erat aliqui illi vicinus qui clauum tenebat, dormiebat enim Dominus in puppi Marci 4. vers. 38. Cum igitur ille maximè periculum sentiret, & proximus assideret, per alios tamen Dominum excitati: cur nobis id vetitum sit?

VERSVS 26.

Et dicit eis, quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.

QVÆSTIO I.

Quia fides?

§. 1. **M**agna erant in consternatione, itaque primo in periculo, ut est apud Marcum, increpuit mare. Dixitque πῶς, καὶ φιδώθητι, tace & obmutesce. Vim igitur vi opposuit. Apud Marcum dicit, πῶς

ἐχέτω τὸν σῆμα; alii legunt, ὅτω πῶς ἐχέτω τὸν σῆμα; sed cum priore verbo legendum est, ὅτω sic. Lucas habet ubi est fides vestra: Fidem hanc qui de fiducia accipiunt, mihi in te manifesta somnare videntur. Timebant enim naufragium. Non putabant tam præsentem se auxilio liberandos. Ideo mirantur: quis est putas iste? quia & ventus, & mare obediunt ei? Admiratio indicat fidem non habuisse, quæ tanti eum faceret. Initio fides in Apostolis tanta non fuit; nam sedatâ tempestate mirantur. Non mirantur, si dixissent: si vis, potes sedare fluctus maris. Modica fides: non enim dormientem auxiliari credebant. Orig. homil. 6. de diuersis. Chrysostom. homil. 29. Ante fides magna fuerat, nunc in periculo concutitur. Multo maiora viderant, & crediderant, sed turbati hærent. Cyprianus lib. 4. Ep. 6. Hoc demum est robur fidei, credere, & scire, quod Deus à morte liberare possit, & non cedere. ac iam parum aberat, quin illi cederent. Tranquillitatem vocat γαλήνην, quæ proprie est maris quieti. Causa τῆς γαλήνης est νῆεμα, ventorum absentia. Hom. Odyl. 2. καὶ τὸ ἐπ' αὐτὸν γαλήνην ἐπ' αὐτὸν, ἡ δὲ γαλήνη ἐπὶ τοῦ νῆεμα. Et tum postquam ventus cessauit, & tranquillitas facta ex ventorum cessatione. Et Odyl. 8. καὶ γαλήνην ἐπὶ τὸν κόρυς, ὅτι αὐτὸν, ὅτι πῶς, ὅτι ὁ λῆξον, λῶν δὲ, ἢ ὁ μὴ γαλήνη. Neque enim excitabatur (in portu Læstrigorum) fluctus, nec magnus, nec parvus, sed candida erat circum tranquillitas.

VERSVS 28.

Et cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes demonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam.

QVÆSTIO I.

Qui sint Geraseni?

§. 1. **G**RÆCUS γερουσιῶν. Syrus Gadarenorum, ita Geraseni seu Gergeseni. Gergali seu Gergela ciuitas erat in Iordanem, iuncta monti Galaad, quam tenuit tribus Manasse. Hæc dicitur, in Gerasa, & Hiericom. in Abdiar, Benjamin cunctam possidebat Arabiam, quæ prius vocabatur Galaad, & nunc Gerasa nuncupatur. Altera Gedara eisdem in finibus fuit, Ioseph. lib. 5. de bell. cap. 3. dictæ sunt à Gergelese. Gezara etiam dicitur. Ptolomæus tribuit eam Arabiæ Petreæ I. n. & Triem. Gerasam seu Gergesam, & Gadaram esse oppida vicina, & fines committos. De Gerasa doctissime noster Vincentius lib. 3. cap. 5. num. 2. Gerasa, inquit, & Gergesa, olim Gergesa, Iosepho etiam tertio de bello secundo, Gergesi. Hieronymo verò de locis Hebræicis, terra G. dictione Gargasi, dicta est Gargasi, insignis urbs ac munita trans Iordanem, cuius Regio, monti Galaad iungitur, ac continetur. Sita verò est supra montem, in vltiori, hoc est Orientali, maris Galilææ litore ex aduerso Tiberiadis, paululum tamen ab ea ad Aquilonem declinans. hanc olim dicitur habitasse Gergesai, qui à Gergeseo quinto filio Chanaan suæ Gergesæ traxere originem. Sed postea cum hos filij Israhel in promissa Gergesæ terra inuasionem deleuissent, tenuit eam dimidia tribus Manasse. Ab hac ciuitate circumiacens territorium Regio Gerasenorum vocatur, quam Matth. Græcè γερουσιῶν, id est, Gerasenorum, Marcus verò, & Lucas γαδαραίων, hoc est, Gadarenorum vocant. Quare multi arbitrati sunt vnam, eandemque ciuitatem tria hæc habuisse nomina Gerasa, vnde Geraseni, Gergesa vnde Gergeseni, & Gadara vnde Gadareni etiam dicti, qui illam regionem incolebant. Sed ex Iosepho 2. de bello 19. 20. & 7.